EPISTOLA DECRETALIS INNOCENTII III. Summi Pontificis Romani exscripta ex antiquis Collectionibus Decretalium publicatis ab *Antonio Augustino* Episcopo Ilerdensi editis Ilerdæ in Hispania apud Petrum Rob. & Ioannem à Villanoua anno Christi M. D. LXXVI. & Lutetię apud Sebastianum Cramoisi M.DCIX.

Ex Collectione III. lib.4. c.II. tit. Qui filij sunt legitimi, quod in Decretalibus Gregorij IX. Papæ est 13. eodem titulo.

In hac epistola *Innocentius Papa* tria dicit maximè notanda pro *Rege*, & Regno FRANCORVM.

Primò quòd REX FRANCORVM superiorem in *temporalibus* minimè recognoscit, ne ipsũ quidem Summum Pontificem.

Secũdò quòd ipse PONTIFEX de-

clarauit per affinitatem quæ allegabatur inter *Philippum Regem* FRANCORVM, & I. *Reginam* quam duxerat in matrimoniũ, *Reginam* illam non eſſe REGIS ipſius coniugem (*affinitate probata*) & per conſequens aliam ſibi videri legitimè copulatã (quod quidem erat notionis Pontificiæ Eccleſiaſticæ Chriſtianæ.)

Tertiò quòd cùm *Rex* ipſe *Francorum* ſuperiorem in temporalibus minimè recognoſcat, ſine iuris alterius lęſione in eo quod ad notionem Pontificiam & Eccleſiaſticam pertinebat, ſubmittere ſe potuerat, in quo forſitan videretur aliquibus quod per ſe ipſum non tanquam Pater cum filiis, ſed tãquam Princeps cum ſubditis poterat diſpenſare.

His tribus nihil ſimile propoſitum ſibi fuiſſe teſtatur *Innocentius* PONTIFEX in ſupplicatione VV. Montiſpeſſulani ab Archiepiſcopo Arelatenſi oblata, quæ recitatur in illa Decretali Epiſt.

Imò

Imò valdè notãdum quod ipſe vv. terræ ſuæ partem ab Eccleſia Magalonenſi poſſidere dicebatur, quam ipſe per Sedem Apoſtolicam temporaliter agnoſcebat, vt ex Archiepiſcopi aſſertione dicit PONTIFEX : qui quidem Archiepiſcopus faſſus fuerat illa Magalonenſi Eccleſia mediante VV. illius Montiſpeſſulani terram aut partem ipſius Põtifici temporaliter ſubiacere.

Quod vtrum verum eſſet, atque ita ab Archiepiſcopo pro Nobili illo Viro VV. ſupplicante agnoſci debuerit, haud liquet aliunde quàm ex iis quæ recitat Põtifex in illa Decretali.

Verùm, quidquid in ea ſcriptum ſit, ex declaratione Pontificis ibi expreſſa conſtat aliam longè conditionem fuiſſe, vt adhuc hodie eſt *Regis ac Regni Frãcorum*, quàm illius VV. & partis terræ quam à Magalonenſi Eccleſia tenere dicebatur, vel id fatente Pontifice, qui maximum agno-

ſcit diſcrimen, dicítque nominatim *Regem Francorum in ſpiritualibus tantùm*, VV.autem M. *& in ſpiritualibus, & in temporalibus* Pontificem & Sedem Apoſtolicam recognoſcere, quod nullus vnquam REX FRANCORVM fecit *in tẽporalibus*, in quibꝰ DEVM ſolum habet atque agnoſcit ſuperiorem, quippe cuius ſolius gratia REX eſt.

Hæc tria in Epiſtola iſta Decretali declarata faciunt pro veritate Regij ſtatus, ac ſuprema & ſacra Maieſtate *Regis Francorum*: & ideò Galli omnes pij & veri Franci debent iſtam Epiſtolam memoriæ commendare.

EX AN-

EX ANTIQVA DECRETALIVM COLLECTIONE III.

lib. 4. tit. 12. Qui filij ſunt legitimi. Cap. 2. quod in vulgatis editionibus eſt 13. c. tit. 17.

INNOCENTIVS III. NOBILI VIRO VV. Montiſpeſſulani.

PER venerabilem fratrem noſtrum Arelatenſem Archiepiſcopum ad ſedem Apoſtolicam accedentem nobis tua humilitas ſupplicauit, vt filios tuos titulo legitimationis decorare dignaremur, quatenus eis quominus tibi ſuccederent natalium obiectio non noceret. Quòd autem ſuper hoc Apoſtolica ſedes plenā habeat

poteſtatẽ, ex illo videtur, quod cùm diuerſis cauſis inſpectis, cum quibuſdam minùs legitimè genitis, non naturalibus tãtùm, ſed adulterinis etiam diſpenſauit, ſic ad actus ſpirituales illos legitimans, vti poſſint in Epiſcopos promoueri: ſimilius creditur, & probabilius reputatur, vt eos ad actus legitimare valeat ſeculares: præſertim, ſi præter Romanum Pontificem inter homines ſuperiorem aliũ non cognoſcant qui legitimandi habeat poteſtatem: Quia cùm maior in ſpiritualibus tam prouidentia, quàm auctoritas, & idoneitas requiratur, quod in maiori conceditur, licitum eſſe videtur etiam in minori.

Perſimile quoque id videtur poſſe probari cum eo ipſo

quod

quod aliquis ad apicem Episcopalis dignitatis attollitur, eximitur à paterna potestate.

Preterea si etiam simplex Episcopus scienter seruum alterius in Episcopum ordinaret, licèt ordinatori satisfacere domino iuxta formam canonicam teneretur, ordinatus tamen iugum euaderet seruitutis. Videtur siquidem monstruosum, vt qui legitimus ad spirituales fieret actiones, circa sæculares actus illegitimus remaneret. Vnde cum quo in spiritualibus dispensatur, consequenter intelligitur in temporalibus dispensatum.

Id autem *in patrimonio Beati Petri liberè potest Apostolica sedes, in quo & summi Principis exequitur potestatem.* Cùm ergo videtur ex

his legitimandi auctoritas non tantùm in temporalibus, ſed in ſpiritualibus & penes Romanam Eccleſiam reſidere, vt ſuper hoc filiis tuis gratiam faceremus ob tua, & progenitorum tuorum merita, qui ſemper in protectione Sedis Apoſtolicæ perſtitiſti, humiliter ex parte tua idem Archiepiſcopus requirebat. Videbatur autem ex eo trahere maiorem audaciam poſtulandi; quòd non longè petere cogebatur exemplum: Sed in fauorem petitionis huiuſmodi quod nos ipſos in cauſa ſimili feciſſe dicebat, poterat allegare. Cùm *enim Kariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus Rex Francorum Illuſtris Kariſſimam in Chriſto filiam noſtram I. Francorum Reginam illuſtrem dimiſerit, & ex*

alia

alia poſtmodum ſuperducta puerum ſuſcepit, & puellam: & tu ſimiliter excluſa legitima ſuperduxeris aliam, ex qua filios ſuſcepiſti, ſicut cum filiis *Regis* eiuſdem, ſic cum tuis credebatur de benignitate ſedis Apoſtolicæ diſpēſandum : *Præſertim cùm maior id neceßitas ſuaderet, & tu nobis ſpecialius ſis ſubiectus*. Siquidem *Rex Francorum* ex inclytæ recordationis *Regina Francorum* olim legitimum ſuſcepit heredem, *qui ei optatur, & creditur in Regni ſolio ſucceſſurus*: Tu verò ex legitima coniuge maſculum non habens heredem, qui tibi in deuotione noſtra, & propria hereditate ſuccedat. Inſuper *cùm Rex ipſe in ſpiritualibus nobis ſubiaceat, tu nobis & in ſpiritualibus & temporalibus es ſubiectus*; cùm par-

tem terræ tuæ ab Ecclesia Magalonensi possideas, quam ipsa per sedem Apostolicam temporaliter recognoscit, *quia Magalonensi Ecclesia mediante nobis idem Archiepiscopus asserebat te temporaliter subiacere.* Verùm, si veritas diligenter inspicitur, nō similis res, sed valdè dissimilis inuenitur. Nam *Rex* ipse à prædicta *Regina* per bonę memorię Remensem Archiepiscopum Apostolicæ sedis Legatum fuit per sententiam separatus: Tu verò vxorem tuam à te, sicut dicitur, temeritate propria separasti: ipse quoq; priùs quàm ad eum prohibitio de non contrahendo cum altera peruenisset, aliam superduxit, ex qua prolem geminam noscitur suscepisse. Sed tu in contemptum

Ecclesiæ

Ecclesiæ aliam superinducere attentasti: Propter quod ipsa in te gladium exercuit Ecclesiasticæ vltionis. *Præterea Rex ipse prædictæ Reginæ contra matrimonium impedimentum affinitatis obiecit*, & corã præfato Archiepiscopo testes induxit, cuius sententia, quia cassata fuit solummodò propter iudiciarium ordinem non seruatum, nos ei post restitutionem *Reginæ* super hoc Venerabilem Fratrem nostrum Hostiensem Episcopum, & dilectum filiũ I. titulo sanctæ Priscæ Presbyterum Cardinalẽ cognitores duximus deputandos. Tu verò vxori tuæ nihil, quòd diuortium induceret, sicut asseritur, obiecisti: cùm etsi fides tua sit vnum de tribus bonis coniugij, non tamen ipsius

violatio coniugale vinculum violasset. De filiis ergo *Regis* eiusdem, vtrum legitimi, vel illegitimi fuerint, quamdiu pendet quæstio affinitatis obiectæ, potest non immeritò dubitari. *Nam si affinitas fuerit comprobata, prædictam Reginam nõ esse Regis coniugem apparebit*; & per consequens alia videtur sibi legitimè copulata, & filios ei legitimos peperisse. De tuis verò quòd sint legitimi nati, nec tu ipse proponis, nec vlla præsumitur ratione. *Insuper cùm Rex ipse superiorem in temporalibus minimè recognoscat, sine iuris alterius læsione, in eo se iurisdictioni nostræ subiicere potuit & subiecit, in quo forsitan videretur aliquibus quòd per se ipsum, non tanquam pater cum filiis, sed tanquam Princeps cum*

ſubditis potuit diſpẽſare. Tu autem *aliis noſceris ſubiacere* , vnde ſine ipſorum forſan iniuria,niſi pręſtarent aſſenſum, nobis in hoc ſubdere te non poſſes : *nec eius auctoritatis exiſtis, vt diſpenſandi ſuper his liberam habeas facultatem.* Rationibus his inducti *Regi* gratiam fecimus requiſiti, cauſam tam ex veteri quàm ex Nouo Teſtamento trahẽtes; quòd non ſolùm in Eccleſię patrimonio, ſuper quo plenam in temporalibus gerimus poteſtatem, verùm etiã in aliis Regionibus certis cauſis inſpectis temporalẽ iuriſdictionem carnaliter exercemus : Non quòd alieno iuri præiudicare velimus, vel poteſtatem nobis indebitã vſurpare: cùm non ignoremus Chriſtum in Euãgelio reſpondiſſe; *Reddite*

quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo: propter quod poſtulatus, vt hereditatem diuideret inter duos, *quis*, inquit, *conſtituit me ſuper vos iudicem*? ſed quia ſic in Deuteronomio continetur; *ſi difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe proſpexeris, inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & non lepram, & iudicium inter portas tuas videris variari, ſurge & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniénſque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuit illo tempore, quæréſque ab eis qui iudicabunt tibi iudicij veritatem: & facies quæcumque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerint, & docuerint te iuxta legem eius, ſequeríſque eorum ſententiam, nec declinabis ad dexteram, vel ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit nolens*

obedire Sacerdotis imperio, *qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis, morietur, & auferes malum de Israel.* Sanè cùm Deuteronomium lex secunda interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur in hoc quòd ibi decernitur, vt in Nouo Testamento debeat obseruari. Locus enim quem elegit Dominus, *Apostolica sedes* esse cognoscitur sic, quòd eã Dominus in se ipso lapide angulari fundauit. Cùm enim *Petrus* vrbem fugiens exisset, volens eum *Dominus* ad locũ quem elegerat reuocare, interrogatus ab eo, *Domine* quò vadis? respondit, venio Romam iterum crucifigi: quod intelligens pro se dictum, ad locum ipsum protinus est reuersus. Sunt autem *Sacerdotes* Leuitici

generis fratres noſtri, *qui nobis iure Leuitico in executione Sacerdotalis officij coadiutores exiſtunt.* Is verò ſuper eos Sacerdos ſiue Iudex exiſtit, cui *Dominus* inquit in *Petro, quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis:* eius Vicarius, qui eſt Sacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech conſtitutus à Deo Iudex viuorum, & mortuorum. Tria quippe diſtinguunt iudicia, primum inter ſanguinem, & ſanguinem, per quod *criminale* intelligitur, & *ciuile. Vltimum* inter lepram & leprã, per quod eccleſiaſticum & criminale notatur. *Medium* inter cauſam, & cauſam: quod ad vtrumque, tam eccleſiaſticum, quàm ciuile:in

le: in quibus cùm aliquid fuerit difficile, vel ambiguum, ad iudicium est *Sedis Apostolicæ* recurrendum, cuius sententiam qui superbiens contempserit obseruare, mori præcipitur, & auferri malum de Israel per excommunicationis sententiam, velut mortuus à communione fidelium separari. Paulus etiam vt plenitudinem potestatis exponeret, ad Corinthios scribens, ait, *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus, quantò magis sæcularia?* Porrò sæcularis officium potestatis interdum, & in quibusdam per se, nonnunquam autem & in nonnullis per alios exequi consueuit. Licèt igitur cum filiis sæpè dicti *Regis Francorum*,

de quibus an fuerint legitimi, ab initio dubitabatur, duximus diſpenſandum: quia tamen lex Moſaica quam canonica ſobolem ſuſceptam ex adulterio deteſtatur, teſtante Domino, Mamzer & ſpurius vſque in decimam generationem in Eccleſiam non intrabunt. Canone verò vetante tales ad ſacros ordines promoueri: ſæcularibus quoque legibus non ſolùm repellentibus eos à ſucceſſione paterna, ſed negantibus ipſis etiam alimenta: ſuperſedendum adhuc duximus petitioni prædictæ, nec ad præſens ſuper hoc tuis precibus annuendum, *donec ſi fieri poterit*, & culpa leuior, & iuriſdictio liberior oſtendatur: licèt perſo-

nam

nam tuam ſpe cialis dilectionis
brachio amplexemur, & in qui-
bus cum Deo & honeſtate poſ-
ſumus, ſpecialem tibi ve-
limus gratiam ex-
hiberi.



213